



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Quæ justitia formaliter Deo conveniat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

terminare odium propriè dictum.

Ad confirmationem, concessa Majori, nego Minorem. Nam licet causa displicentiae inimici sit injuria & offensa illata, illa tamen supposita, non solum injuria, sed etiam persona quae injuriam intulit, displicet offenso, quatenus vellet illam non esse.

47. Ad probationem secundae partis Minoris principalis, concessa Majori, nego Minorem. Ad cujus probationem, dicendum est, quod licet omnis actus voluntatis creatae debeat terminari ad bonum, verè vel apparenter conveniens subiecto appetenti, non tamen omnis petit terminari ad bonum conveniens alteri subiecto, sed aliquando fertur ad malum alteri noxium. Et ita contingit in odio inimicitiae, nam odio habens aliquem, vult illi malum; quia illud quod alteri malum est, sibi ipsi judicatur conveniens: unde terminatur ad illud, ut conveniens sibi, & ut alteri disconveniens, nocivum, & malum.

48. Contra secundam conclusionem, nullum proponit Suarez argumentum quod sit alicujus ponderis: illud enim quod supponit, & non probat, nempe iram in suo conceptu formali solum importare appetitum vindictae, nec includere ordinem ad tristitiam ab offendente illatam, eadem facilitate negatur, quae asseritur; & constat esse falsum in iudice, qui cum sedato animo punit latronem, non propriè illi irascitur, sed solum exercet actum justitiae vindicativae. Unde cum D. Thomas 1. 2. quaest. 47. art. 1. ad 1. ait: *Ira non dicitur in Deo secundum passionem animi, sed secundum iudicium justitiae, propter vult vindictam facere de peccato: solum vult, aliquid ad perfectionem pertinens, quod in ira invenitur, nempe voluntatem puniendi peccata, in voluntate Dei reperiri; non autem adaequatam irae rationem, de cuius conceptu est ordo ad tristitiam ab altero illatam, ut ex eodem S. Doctore jam vidimus.*

DISPUTATIO VII.

De Iustitia, & Misericordia Dei.

Ad quaest. 21. primae partis.

EX his quae diximus disputatione praecedenti de actibus & affectibus divinae voluntatis, facile colligi potest, quanam virtutes affectivae formaliter in Deo reperiantur. Nam quantum ad hoc observanda est communis regula Theologorum, qui statuunt tanquam certum, eas solum virtutes quae nullam in suo conceptu, seu ratione formali includunt imperfectionem, formaliter Deo competere. Ex quo principio inferunt, virtutes quae respiciunt alterum, ut superiorem, vel aequalem: ut religio, obedientia, pietas, observantia, &c. Vel quae versantur circa moderationem passionum: ut fortitudo, quae moderatur timorem; patientia & mansuetudo, quae habent moderari tristitiam & saevitiam; & temperantia, quae circa moderationem delectationum corporearum versatur, formaliter in Deo non reperiri: quia huiusmodi virtutes in sua ratione formali includunt aliquam imperfectionem Deo repugnantem. Restat ergo solum difficultas, an iustitia & misericordia sint in

A Deo formaliter, vel tantum eminenter? quam hic breviter discutimus & resolvemus.

ARTICULVS PRIMVS.

Quae Iustitia formaliter Deo conveniat?

§. I.

Praemittuntur quae apud omnes sunt certa, & referuntur sententiae.

Suppono primò tanquam certum, justitiam verè & propriè in Deo reperiri, abstrahendo pro nunc à speciebus illius, an scilicet illa legalis, commutativa, vel distributiva. Nam Deo passim Scriptura concedit attributum justitiae, officiumque iudicandi justè, & reddendi unicuique quod suum est: quod non metaphoricè, sed cum omni proprietate Deus exercet. Unde statim initio Genesis, ubi vulgata versio habet: *In principio creavit Deus caelum & terram.* Hebraica legit: *In principio creavit Elohim,* id est *Iudices:* quia (inquit Tertullianus) *A primordio Creator tam bonus quam & justus. Pariterque utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est.... Iustitia opus est quod inter lucem & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctem, inter caelum & terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris caelum & aride molem, inter luminaria majora & minora, diurna atque nocturna &c. Omnia ut Bonitas concepit, ita Iustitia distinguit.*

Suppono secundò, justitiam quae definitur à Theologis & Iurisperitis: *Virtus ius suum unicuique retribuens*, in tres potissimum species dividi: scilicet in legalem, distributivam, & commutativam: omnis enim justitia propriè dicta est ad alterum, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 58. art. 2. Triplex autem potest fieri comparatio ad alterum: vel comparando partem ad totum, vel totum ad partem, vel partem ad partem. Si pars ad totum comparetur, est justitia legalis, quae habet ordinare hominem ad bonum commune, & imperare adimpletionem legum in ordine ad bonum communitatis: si fiat comparatio totius ad partes, est justitia distributiva, per quam, vel re publica, vel caput ejus, nomine ipsius, distribuit bona vel poenas, pro mensura & proportione meritorum vel demeritorum. Si fiat comparatio partis ad partem, est justitia commutativa, quae scilicet in contractibus, commerciis, & permutationibus, unus civis aequalitatem servat in ordine ad alterum. Legendus est S. Thomas 2. 2. quaest. 61. art. 1.

Suppono tertio: Praeter tres illas species justitiae, esse alias virtutes ad justitiam reductivè pertinentes, quae partes potentiales justitiae appellari solent; quia imitantur quidem & aemulantur rationem justitiae, ab ea tamen deficient, vel quia non possunt reddere aequale, ut religio, poenitentia, pietas, & observantia. Vel quia licet possint reddere aequale, non habent tamen rigorosum debitum & legale, sed morale tantum, quod attenditur secundum honestatem aut decentiam, non verò secundum legis obligationem: ut liberalitas, gratitudo, fidelitas, amicitia &c.

Suppono quarto: Justitiam saltem legalem in Deo formaliter reperiri. Haec enim, ut docet D. Thomas 2. 2. quaest. 58. art. 6. est in Principe architectonicè, quasi in imperante & dirigente; in subditis autem secundariò, & administrativè,

tanquam in subjectis & obedientibus legi : unde cum Deus sit Rex Regum, & dominus dominantium, ac supremus moderator totius universi, Per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, ut dicitur Proverb. 8. non est dubium quin in illo sit iustitia legalis, superiori modo, quam in omni Principe. Quare solum restat difficultas, & controversia inter Theologos, an etiam in Deo sit ponenda formaliter iustitia commutativa, & distributiva, vel solum eminenter ? Pro cuius resolutione

5. Suppono ultimò : Distributivam iustitiam in hoc potissimum à commutativa differre, quòd hæc in compensatione debiti servat proportionem seu aequalitatem arithmeticam & absolutam, quæ fit secundum computationem numeri ad numerum : si enim debitor debeat v. g. centum nummos creditori, centum etiam illi restituere debet. Illa verò observat solum proportionem geometricam, seu respectivam, quæ fit secundum proportionem diversorum respectuum, qualem Geometra considerat in diversis figuris & quantitativibus. Sicut si paterfamilias v. g. debet distribuere familiæ suæ vestes, non debet easdem dare toti familiæ, sed minoribus minores, & maioribus majores : unicuique secundum suam proportionem. Et in distribuendis bonis reipublicæ (in quo situm est officium iustitiæ distributiæ) non debet sic attendi meritum, ut tot partes bonorum recipiat quis, quot habet gradus meriti : ut si habeat centum, centum etiam recipiat : sed si habenti quinquaginta gradus meriti, dentur viginti partes bonorum reipublicæ, habenti centum, debent tribui quadraginta. His præsuppositis.

6. Circa propositam difficultatem variè opinantur Authores, omnes tamen sententiæ ad tres præcipuas (quarum duæ extremè opponuntur, altera inter utramque mediat) reduci posse existimo. Suarez enim affirmat dari in Deo iustitiam non solum distributivam, sed etiam commutativam in ordine ad homines, fundatam in pacto & promissione quæ intercedit inter Deum & nos ; ita quòd si Deus non redderet quod ex pacto convenit, violator esset stricti juris, & propriæ ac specialis iustitiæ. Sic docet in Opusc. disp. de iustitia Dei, ipsumque sequuntur Granada, Tannerus, & alij eisdem familiæ. Vazquez autem cui adherent Lessius, Sanchez, & Arrubal, docet in Deo non dari veram & strictam iustitiam, neque commutativam, neque distributivam, & præmium reddi à Deo bonis operibus ex sola fidelitate, vel gratitudine, aut alia virtute simili, quæ sit pars potestativa iustitiæ, non species ejus. Thomistæ verò mediâ viâ inter has duas sententias extremè oppositas incedentes, tenent in Deo non dari iustitiam commutativam, bene tamen distributivam, & vindicativam, quæ est pars distributiæ iustitiæ, habens distribuere præmia & supplicia, secundum proportionem meritum vel demeritorum. Hanc sententiam clarè & in terminis docet Angelicus Præceptor, ut constabit ex locis statim referendis : unde illum sequuntur Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Soto, Gonzales, Marcus à Serra, Joannes à S. Thoma, & alij communiter.

Tom. I.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Dico primò : In Deo non dari iustitiam commutativam.

7. Probatur primò conclusio ex D. Thoma in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ubi ait : *Iustitia commutativa, per quam aequalitas constituitur inter Deum dantem & creaturam recipientem, Deo competere non potest secundum propriam acceptionem.* Et 1. cont. Gent. cap. 93. *Iustitia, quantum ad commutationis actum, Deo competere non potest, cum ipse à nullo aliquid accipiat.* Unde ad Romanos 11. dicitur, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei ? Et Iob 41. Quis ante dedit mihi, & reddam ei ? Per similitudinem tamen aliqua dari Deo dicuntur ; inquantum Deus nostra data accipiat : non igitur sibi competit commutativa iustitia.* Et hinc art. 1. *Iustitia commutativa, vel directiva commutationum, non competit Deo, quia ut dicit Apostolus ad Roman. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei ?*

8. Dices, D. Thomam solum excludere à Deo iustitiam commutativam, eo modo, & cum illis imperfectionibus, cum quibus reperitur inter homines ; non autem negare, iustitiam commutativam Deo convenire secundum suam rationem formalem, & ut purificatam ab his imperfectionibus.

Sed contra : Secundum modum illum imperfectum quo virtutes sunt in nobis, non solum iustitia commutativa, sed nec distributiva, nec misericordia, nec liberalitas & magnificentia, nec sapientia & prudentia sunt in Deo, sed modo altiori & divino : Ergo si D. Thomas intenderet solum excludere à Deo iustitiam commutativam, secundum eas imperfectiones quibus affecta est in nobis, & non secundum se, etiam alias virtutes negare deberet Deo, quia non sunt in Deo illo modo quo in nobis : sed alias virtutes, & nominatim iustitiam distributivam concedit Deo, & commutativam excipit, ut magis constabit ex locis infra referendis : Ergo &c. Adde quòd ratio D. Thomæ quam in prædictis locis insinuat, & quam statim exponemus, probat Deo non posse convenire iustitiam commutativam secundum se, & secundum suam rationem formalem & essentialem.

9. Probatur ergo secundò conclusio ratione quam indicat D. Thomas locis relatis. Ad iustitiam commutativam propriè dictam necessàriò requiritur, ut debitum legale oriatur in uno extremo ex duobus inter quæ talis iustitia intercedit, ex dato & tributo alterius : Sed nulla creatura potest aliquid dare vel tribuere Deo : Ergo in illo non potest esse iustitia commutativa in ordine ad creaturas. Major videtur certa & constans apud omnes : si enim aliquis nihil alteri det vel tribuat, non potest illum constituere debitorem, nec illum obligare ex vera & stricta iustitia. Minor verò in qua est difficultas probatur primò ex locis Scripturæ à D. Thoma allegatis. Secundò ratione : Nam dare aliquid alteri, est illud constituere sub dominio & potestate illius : Sed repugnat quòd aliqua actio creaturæ, sub dominio & potestate Dei constituatur, quia quæcumque actio vel communicatio creaturæ, ita est Dei, & sub dominio ejus, sicut quæcumque res creata, & multò magis, quàm sub dominio proprio : Ergo repugnat creaturam per sua bona opera ali-

P P p iij

quid dare vel tribuere Deo. Quântumcumque enim creatura eam actionem, vel rem donet Deo, nihil novi dominij & juris in eo causat, quia ipsummet offerre & dare, & ipsa actio creaturae, à Deo originantur, & ex ejus influxu & causalitate pendent, & aliquid ipsius sunt.

20. Dices cum Suarez: Quòd quamvis actiones creaturae sint Dei ut suprema Domini, tamen ipsa creatura habet particulare dominium in illas, ratione cujus potest illas Deo dare, & in ejus obsequium offerre.

Sed contra: Licet creatura habeat dominium particulare in suas operationes, non potest tamen illud in Deum transferre, nec consequenter aliquid Deo dare: quia dominium illud, cum sit creatum & limitatum, est imperfectum; Deus autem non est capax dominij imperfecti. Et dato etiam quòd illud in Deum transferre possemus, & Deus esset capax nostri imperfecti & inferioris dominij, illudque novo titulo possidere posset; totum hoc ex Deo ipso dimanare debet, scilicet quòd nos tale imperfectum dominium in ipsum transferamus, & quòd ei illud offeramus: Ergo nihil ei offerimus quòd suum non sit, siquidem non solum id quòd damus; sed ipsum etiam dare illi, beneficium ejus est, & ab ipso prius descendit. Et in hoc stat tota vis hujus Apostolici verbi, quòd saepe allegat S. Doctor: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Id est quis à se incipit dare illi aliquid, & non potius ab ipso accepit?

21. Probatur tertio conclusio alià ratione fundamentali. In eo qui ex justitia commutativa aliquid retribuit, oportet esse strictum debitum illud tribuendi: Sed in Deo non est, nec esse potest strictum debitum & obligatio respectu creaturae: Ergo in eo non est, nec esse potest justitia commutativa in ordine ad nos. Major constat, tum quia ille qui absque debito & obligatione aliquid tribuit, non ex justitia commutativa, sed ex liberalitate tribuit; ut patet in Petro solvente Joanni centum nummos qui ei debentur, non ab ipso Petro, sed à Paulo: talis enim actus non est justitiae commutativae, sed potius liberalitatis, vel magnificentiae. Tum etiam, quia ut docet D. Thomas 2. 2. quaest. 80. art. 1. *Dupliciter aliqua virtus à justitiae commutativae ratione deficit: uno modo in quantum deficit à ratione aequalis, alio modo in quantum deficit à ratione debiti.* Unde sicut religio & poenitentia in nobis deficient à vera & stricta ratione justitiae, & constituuntur partes potentiales illius, ex eo quòd non possunt Deo satisfacere ad aequalitatem pro beneficiis acceptis, vel pro injuriis illatis; ita amicitia, gratitudo, & fidelitas, licet reddant aequale, quia tamen ad id non obligantur ex stricto debito, sed solum ex quadam decentia & honestate, excluduntur à vera ratione justitiae, ut in 3. suppositione declaravimus.

Minor verò, in qua est difficultas, probatur ex D. Thoma 1. 2. quaest. 114. art. 1. ad 3. ubi docet quòd Deus non potest nobis esse debitor ex justitia: nam quaecumque ejus promissio antecedit, non sequitur (inquit) quòd Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur. Idem docet hic art. 1. ad 3. his verbis: *Deus non est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia ad ipsum.*

Ratio etiam id suadet, nam strictum debitum importat inferioritatem aliquam & dependentiam debentis ab eo cui debetur, & est incompos-

A sibile cum supremo dominio. Qui enim est supremus dominus alicujus, est dominus omnium quae sunt ipsius: unde per nullam profus actionem vel rem potest illi obligari, & debitor fieri ex stricta & rigorosa justitia; & ideo dominus potest servo rem promissam, putà vestem, negare, imò datam auferre, & promissionem rescindere, atque irritare, sine injustitia: quia quidquid servus possidet, domini est.

12. Respondet Suarez: Rationem supremi dominij in Deo, impedire quidem quòd absolute possit in eo resultare strictum debitum erga creaturam, non tamen quòd possit illi obligari, obligatione orta ex pacto & promissione Dei. Sicut, inquit, inter patrem & filium, servum & dominum, posset, intercedente pacto & promissione, oriri naturalis obligatio justitiae, si lege positiva non prohiberentur.

13. Sed contra: Pactum & promissio in supremo domino, solum possunt inducere obligationem fidelitatis & veracitatis, non tamen strictae & rigorosae justitiae: quia ut quis debitor fiat aliquid accipiendo (etiam supposita quacumque promissione) opus est ut id quòd accipit, eique exhibetur, non sit sub dominio ejus. Unde quantumcumque quis promittat aliquid filio aut servo suo, si ei dederit quòd re verà patris aut domini est, non fit debitor id accipiendo, sed promittendo; nec consequenter ex justitia, sed solum ex fidelitate. Cum ergo Deus plenum habeat dominium cujuscumque rei quam ei exhibere possumus, eam accipiendo non fit nobis debitor ex justitia, sed solum ex fidelitate nobis premium promittendo. Unde Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli cap. 1. *Debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quòd ei placuit promittendo.* Et Anselmus in prologo cap. 10. *Iustus es, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis quòd decet te summe bonum.*

14. Confirmatur: *Deus non est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia ad ipsum,* ut ait D. Thomas supra relatus: Ergo cum supposito etiam pacto & promissione, ad creaturas non ordinetur, nec ab ipsis dependeat, non fit illis debitor ex justitia, sed ex fidelitate, vel gratia. Sicut fecit pactum & promissionem ac fecit cum Abraham de Incarnatione Filij sui, quòd ante promiserat per Prophetas, ut ait Apostolus. Et Abraham dicta sunt promissiones hujus mysterij, & tamen non ex justitia datus est Christus, sed ex amore & gratia. Et promittit Deus exaudire orationes nostras, sicut dicitur Psalm. 90. *Invocabit me & ego exaudiam eum.* Et Joan. 14. *Petite & accipietis:* nec tamen ex justitia Deus implet petitiones nostras, sed ex misericordia & fidelitate.

14. §. III.

E *Alia difficultas resolvitur, & dari in Deo justitiam distributivam, & vindicativam, breviter demonstratur.*

15. Dico secundò: Justitiam distributivam esse in Deo formaliter, & non solum eminenter. Ita D. Thomas hic art. 1. in corp. & super Dionysium de divin. nomin. cap. 8. lect. 4. ubi ait: *Justitia convenit Deo secundum tres actus: primò quidem secundum hoc quòd est distribuere: commutativa enim justitia in Deo locum non habet, sicut est in venditoribus & emptoribus, quia ut dicitur ad Roman. 12. quis prior dedit illi & retribuetur ei? sed attribuitur ei distributiva justitia,*

que non observat equalitatem quantitatis, ut equalia omnibus det, sed equalitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignum est. Quibus verbis hanc & precedentem conclusionem clarissime docet; ac in Deo negat justitiam commutativam, & distributivam admittit. Idem docet 1. contra Gentes cap. 93. his verbis: *Non igitur Deo competit commutativa justitia, sed solum distributiva. Vnde Dionysius dicit 8. cap. de divinis nominibus, quod justitia laudatur Deus, sicut omnibus secundum dignitatem distribuens, secundum illud Matth. 25. Dedit unicuique secundum propriam virtutem.*

16. Ratio etiam suffragatur, nam justitia distributiva maximam dicit perfectionem & excellentiam, nec habet adjectos defectus qui sunt inseparabiles a justitia commutativa: Ergo licet ista non possit in Deo reperiri formaliter, sed tantum eminenter, bene tamen illa. Consequentia patet, Antecedens probatur quantum ad utramque partem. In primis enim justitia distributiva est superioris erga inferiores: pertinet enim ad superiorem distribuere inferiores de communibus bonis, unicuique juxta proportionem suam; unde hæc docet supremum mundi gubernatorem & principem, qui ut ait Dionysius cap. 8. de divin. nomin. *Omnibus tribuit propria, secundum uniuscujusque existentium dignitatem.*

17. Adde quod maximè docet Deum res omnes hujus universi debite disponere & ordinare, & ad perfectam consonantiam & æqualitatem reducere, tribuendo unicuique juxta proportionem suam & dignitatem, quod est proprium munus justitiæ distributiæ. Unde Tertullianus supra relatus: *Dei bonitas operata est mundum, justitia modulata est: ubi verbum, modulari, innuit quod sicut Musica diversos tonos & cantus ordinat, & ad debitum numerum ac proportionem reducit. Ita & justitia distributiva Dei, in creatione mundi, omnes creaturas ad debitum ordinem & consonantiam redegit, dando unicuique quod suum est, & faciendo omnia in pondere, numero, & mensura. Quare Plato Deum sibi confinxit in prima mundi creatione veluti quemdam Arithmeticum, & Geometram. Et D. Basilus in ipsis diebus & noctibus ordinatissimis intervalis, admirandam hanc divinæ justitiæ æqualitatem advertit. *Cum cogitaveris, inquit, quomodo totum per annum distribuuntur, & tanquam in libra & bilance, totius spatij longitudinem dividerunt, eum qui ordinavit admiraberis &c.**

In Exameron

18. Eandem rationem tangit D. Thomas variis in locis. Nam hic art. 1. in corp. ait: *Sicut ordo congruus familia, vel ejusque multitudinis gubernata, demonstrat hujusmodi justitiam (scilicet distributivam) in gubernante: ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam.* Et art. 3. dicit, *In quantum perfectiones dantur à Deo creaturis, secundum earum proportionem, pertinet ad justitiam.* Et in 4. dist. 46. quest. 1. art. 1. questione 1. *Ratio distributiæ justitiæ Deo proprie convenire potest, in quantum scilicet æqualitatem proportionis servat in communicatione bonorum suorum, dans unicuique proportionabiliter secundum modum suum.*

19. Quod etiam justitia distributiva non habeat annexos defectus & imperfectiones, quæ essentialiter imbibuntur in justitia commutativa, breviter declaratur. In primis enim justitia distributiva non inducit in distribuente debitum aliquod

A simpliciter, ortum ex exceptione rei quam alius dedit. Potest enim Princeps justè bona communia distribuere, absque eo quod ab his quibus illa distribuit, aliquid accipiat aut expectet. Si quæ autem obligatio rectè distribuendi est in his qui distribuunt, à legibus & recta ratione quibus subiecti sunt provenit: unde cum Deus nullis legibus sit subiectus, sed ratio suæ sapientiæ sit sicut lex justitiæ, ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 2. absque ulla obligatione potest justè distribuere, cum id non agat secundum legem alicujus superioris, sicut nos; sed ipse sibi sit lex, ut ibidem inquit S. Doctor.

Non requirit etiam justitia distributiva, ut qui distribuit non habeat dominium bonorum quæ distribuit, aut illud à se abdicet: satis enim est, ut retento suo supremo dominio, inferius dominium conferat his quibus illa distribuit, ut patet in Principe, qui potest servare justitiam distributivam, largiendo bona communia in feudum, aut emphyteusim, vel etiam solum donando usufructum. Et si in religione aliqua dominium omnium bonorum quæ religiosis distribuuntur, esset solum apud supremum Rectorem, vel Summum Pontificem: illorum distributio esset verus actus justitiæ distributiæ, quamvis per illam religiosi nullum in talia bona acquirerent dominium, sed eorum tantum usum haberent. Denique si aliquæ aliæ imperfectiones sint in nostra justitia distributiva, hæc non sunt de ratione formali justitiæ distributiæ ut sic, & prout est analogicè communis Deo & creaturis, unde ab illis purificatur in Deo.

Probatur tertio conclusio. Retributio vitæ æternæ pro bonis operibus, in gratia & charitate factis, non solum est à Dei fidelitate, vel gratitudine, sed etiam à vera & stricta justitia: Sed hæc non potest esse alia quàm distributiva: quia, ut ostendimus conclusione præcedenti, non potest dari in Deo justitia commutativa: Ergo justitia saltem distributiva debet esse in Deo formaliter. Minor constat ex supra dictis: Major verbò ostenditur in Tractatu de just. sic. & merito, & colligitur ex illo Pauli 2. ad Timoth. 4. *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: illud enim quod redditur à Deo ut justo iudice, & tanquam corona justitiæ, datur ex vera & stricta justitia, & non solum ex gratitudine, vel fidelitate.*

203

Addo quod idem Apostolus ad Hebræos 6. docet quod Deus esset injustus, si fraudaret justos mercede suâ, ait enim: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Cui concinit Augustinus libro 4. contra Julianum cap. 3. dicens: *Deus ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus, cum & ipsum ejus regnum justitia sit &c.* Et libro de natura & gratia cap. 2. *Non enim injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ:* At si in retributione præmij pro bonis operibus, non interveniret vera & stricta justitia, sed sola veracitas, vel fidelitas in promissis, Deus non posset dici injustus, si fraudaret justos mercede suâ, sed tantum infidelis, vel non verax: Ergo in retributione vitæ æternæ, intervenit vera & stricta justitia.

211

Disp. 2. art. 4.

Dico tertio: In Deo non solum esse justitiam distributivam, sed etiam vindicativam.

221

Probatur: Deus non solum habet retribuere præmia bonis operibus, sed etiam pœnas & supplicia pro delictis inferre, servando debitam proportionem & commensurationem inter pœnam

& culpam: in quo propriè consistit officium vindicativæ justitiæ. Unde D. Bernardus libro 1. de consideratione cap. 12. *Quid est Deus? Non minus est pœna perverforum, quàm humilium gloria. Est enim rationalis quædam aequitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est.* Et Tertullianus libro 2. contra Marcionem cap. 13. *Iustitia Dei est plenitudo divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem & Dominum: Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ: Patrem potestate blandâ, Dominum severâ: Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè.* Et lib. de pœnit. cap. 3. *Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum, quia iudex omnis remunerator est cause, iudex Deus justitiæ charissima sibi exigenda, iudæque præfides, & in eam, omnem summam disciplina sua sancit, nihil à conspectu ejus remotum unde omnino delinquitur: quia non ignorat nec omittit quominus in iudicium decernat. Dissimulator & pravariator perspicacitas sua non est. Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu fato, seu voluntate commissis, pœnam per iudicium destinavit.*

23. Confirmatur: Justitia vindicativa nullam in suo conceptu involvit imperfectionem, sed potius maximam perfectionem. Instaurare enim ordinem justitiæ violatum per peccatum, est per se bonum, & valdè conducens ad decorem & pulchritudinem universi. Quid enim pulchrius, & rectissimo ordini justitiæ congruentius, quàm ut qui Deo injuriam irrogavit, pœnam illi debitam sustineat, & quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum ei deur tormenti & luctus? ut dicitur Apocal. 18. *Quid justius, quàm ut qui se contra Deum extulit, à Deo infra se deprimatur; & qui se subduxit gubernationi misericordiæ, incidat in severitatem vindicativæ justitiæ?* Unde Augustinus concione 1. in Psalm. 58. *Iniquitas omnis, parva magna ve sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut à Deo vindicante:* Ergo justitia vindicativa non potest Deo denegari. Quare Tertullianus libro 1. contra Marcionem, adversus illum vehementer invehitur, eò quòd Deum nobis effinexit tantum bonum, mitem, & beneficum, & cui nullus inesset justitiæ vindicativæ, iræ, & ultionis sensus: eumque his verbis deridet ac fugillat. *Audite peccatores, quicumque nondum estis, ut esse possitis: Deus melior inventus est, qui nec offenditur, nec irascitur, nec ulciscitur: cui nullus ignis coquitur in gehenna, cui nullus dentium frendor horret in exterioribus tenebris: bonus tantum est, denique prohibet delinquere, sed litteris solis. In vobis est si velitis, illi obsequium subsignare, ut honorem Deo habuisse videamini; timorem enim non vult. O Deum usquequaque perversum &c.* Et paulò post subjungit: *Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo avellimur: quid si nihil minaretur? Hanc justitiæ malam dices, quæ malo non favet: hanc bonam, quæ bono non prospicit, &c.* Denique ait: *Iustitia Dei est tutela bonitatis illius, & nisi justitiâ regatur, bonitas non est.*

§. IV.

Præcipua objectiones solvuntur.

24. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Emptio & venditio sunt actus justitiæ commutativæ, ut docet Aristoteles in libris Ethic. Sed Deus vendit justis regnum cælorum, pro eo-

rum laboribus & bonis operibus. Unde Augustinus in quodam sermone loquens de gloria Paradisi, in persona Dei, habet hæc aurea verba. *Venale habeo: quid Domine? regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita:* Ergo Deus dat justis regnum cælorum ex justitia commutativa.

25. Confirmatur primò: Quod datur ex conventionem & pacto oneroso, datur ex vera & stricta justitia commutativa, & non distributiva, quia distributiva justitia non attendit ad pactum vel contractum, sed ad proportionem personarum quibus distribuendum est. At Deus dat justis regnum cælorum ex conventionem, & pacto oneroso laborandi in vinea sua: ut constat ex parabola patrisfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Dicitur enim in illa parabola, quod *Conventionem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam:* unde postea uni eorum dixit, *Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade.* Ergo in Deo datur justitia, non solum distributiva, sed etiam commutativa.

26. Confirmatur secundò: Suprà ostendimus ex Scriptura & SS. Patribus, quòd Deus foret injustus, si privaret justos mercede suâ: Sed si ex denegatione præmij seu mercedis jus hominis non læderetur, Deus non posset dici injustus, nam sine læsione juris, nulla potest esse vel concipi injustitia: Ergo &c.

27. Ad objectionem respondeo cum D. Thoma in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3. *Inveniri quandoque à Sanctis metaphoricè dictum, quòd bonis operibus regnum cælorum emitur, in quantum Deus accipit opera nostra ut acceptans ea.* Ex quo patet ad primam confirmationem. Respondetur enim, non fieri pactum & conventionem Dei cum homine, ut ex actione hominis oneretur Deus, & illi obligetur ex vera & stricta justitia: quia cum talis actio sit sub dominio Dei, & ex ejus influxu proveniens, eique infinitis titulis debita sit, non potest Deus ex ipsa onerari, neque in eo nasci stricta & rigorosa obligatio eam remunerandi, quantumcumque pactum vel promissionem illi adjungat. Solum ergo pactum & promissio deservit ad hoc ut Deus manifestet hominibus, se illa bona opera (quamvis sub ejus dominio sint, & infinitis titulis illi debeantur) acceptare titulo meriti, & velle ea remunerare præmio vitæ æternæ.

28. Ad secundam confirmationem dicendum est, quòd si Deus privaret justum mercede suâ, esset injustus, non læsione juris, sed violatione suæ veritatis, & æquæ distributionis, & injustitiâ oppositâ non commutativæ justitiæ, quæ in eo esse non potest, sed distributivæ, vel legali architectonicæ, quæ ut suprà diximus, in Deo tanquam in supremo principe, & iudice, perfectissimo modo reperitur.

29. Objicies tertio: Ad hoc ut Deus obligetur homini ex justitia commutativa, non est necesse quòd homo Deo aliquid donet, & quòd Deus ab eo recipiat aliquid dominium novum de aliqua re, sed sufficit quòd ei debitum honorem & cultum exhibeat: materia enim commutativæ justitiæ non restringitur ad sola bona temporalia & utilia, sed etiam versari potest circa res spirituales, secundum quòd valorem æstimationemque recipiunt: ut cultum, obsequium, honorem, & similia quæ remunerationem exigunt, & æqualitatem cum præmio habere possunt: Sed homo potest

potest debitum honorem, & cultum, seu obsequium Deo exhibere, quod habeat commensurationem cum premio vite aeternae: Ergo Deus potest illi obligari ex iustitia commutativa & rigorosa.

30. Respondeo negando Majorem: licet enim homo possit suis actionibus honorem & cultum Deo exhibere, qui habeat commensurationem cum premio vite aeternae, ex illis tamen non potest induci aliquod jus in creatura, nec in Deo aliqua obligatio sufficiens ad fundandam commutativam. Tum quia honor & cultus, quem Deo exhibemus, mille modis, & infinitis ferè titulis ei debetur. Tum etiam, quia ipsamet actio obsequendi & honorandi, ex Dei influxu & causalitate est, & ab illo tanquam à primo principio nascitur & procedit. Unde totum quod offerimus Deo, ab illo accepimus: juxta illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Cui consonat Augustinus dicens: *Deus dum coronat merita nostra, coronat dona sua.* Addit Bernardus, quod *Deus nos onerat cum exonerat: onerat enim beneficiis, cum exonerat peccatis.* Sicut ergo non potest corpus obligare animam in actionibus vitalibus quas exercet, quia ab ipsa anima oriuntur: ita nec creatura Deum, quia omnes actiones ejus ab ipso oriuntur, ut à primo principio & prima radice omnium: *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* ut dicitur Act. 17.

31. Objicies quartò: Christus satisfecit Deo pro peccatis hominum ex vera & stricta iustitia commutativa, exhibendo Deo justum & rigorosum pretium redemptionis nostrae, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus: Ergo etiam ex parte Dei debet dari iustitia commutativa in ordine ad Christum. Consequentia videtur manifesta, quia iustitia commutativa debet esse mutua, & se tenere ex parte utriusque extremi: Ergo si in Christo satisfaciens de toto rigore iustitiae pro peccatis hominum, detur iustitia commutativa in ordine ad Deum, etiam in ipso Deo talem satisfactionem acceptante, debet correspondere iustitia commutativa in ordine ad Christum.

32. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, quòd sicut licet relatio inter matrem & filium ex natura sua sit mutua, & se teneat ex parte utriusque extremi, tamen in Christo non datur relatio realis filiationis in ordine ad Beatam Virginem; quia cum suppositum Verbi Divini sit ordinis superioris & increati, non potest realiter referri ad creaturam, nec recipere in tempore novam aliquam relationem realem. Ita similiter, quamvis iustitia commutativa per se & ex natura sua sit mutua, & debeat se tenere tam ex parte personae satisfaciens, quam ex parte acceptantis satisfactionem, per accidens tamen potest esse non mutua, & se tenere solum ex parte unius extremi: quando scilicet alterum est incapax illius, ut contingit in proposito: Deus enim ratione supremi dominij est incapax obligationis & debiti quod oritur ex jure alieno, & actione alterius, ut supra ostendimus. Unde ex parte Dei rigorosam Christi satisfactionem acceptantis, non correspondet iustitia commutativa formalis, sed aliquid eà altius & eminentius: scilicet iustitia legalis architectonica, qualis est in Principe, quae iustitia eminenter in Deo est commutativa, quatenus servare potest modum formamque iustitiae

Tom. I.

A commutativae, respiciendo aequalitatem ex parte rerum, & tantum pro tanto, licet non habeat obligationem & debitum rigorosum; huic enim obstat supremum dominium Dei circa omnes actiones creaturarum.

Objicies quintò cum Vazque contra secundam conclusionem. In Deo non potest esse iustitia commutativa: Ergo neque distributiva. Consequentia probatur: quia iustitia distributiva, cum sit species strictae & specialis iustitiae, tam bene supponit strictum debitum & obligationem, quam commutativa; omnis enim vera & stricta iustitia exigit strictum debitum & obligationem: Ergo si Deo repugnet iustitia commutativa, quia est incapax stricti debiti, eadem ratione non debet in illo admitti iustitia distributiva.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicendum est, magnum esse discrimen inter debitum iustitiae commutativae, & distributivae. Debitum enim commutativae iustitiae oritur in una persona ex actione & jure alterius quo onerat aliam: Deus autem non potest onerari & obligari ex aliqua actione creaturae: quia, ut supra dicebamus, omnis actio creaturae nascitur ex Deo, & est sub ejus dominio & dispositione, ac illi debita infinitis modis & titulis. At verò debitum distributivae iustitiae, non nascitur ex jure alterius erga distribuentem, aut ex actione circa ipsum, sed ex naturali rectitudine, & ipsa lege aequitatis, quae tenetur distributor commensurare premium perfectioni meritorum. Quod debitum in Principe humano obligat ex ordinatione naturalis legis quae est à Deo; in ipso verò Deo, qui non habet legem sibi impositam ab alio, nascitur ex eo quod ipse est lex, & prima regula totius rectitudinis, ut antea explicatum est.

Dices, Esse debitorem sibi, tollit propriam rationem iustitiae, quae necessario debet esse ad alterum: Ergo si Deus in distribuendis praemiis juxta proportionem meritorum, sit tantum debitor sibi, & non creaturae, in illo non erit vera & stricta iustitia distributiva.

Respondeo distinguendo Antecedens: Esse debitorem sibi ut termino, seu personae cui aliquid reddendum est, tollit propriam rationem iustitiae, concedo. Esse debitorem sibi, ut principio & fundamento debiti & obligationis, reddendae tamen, & exercendae in ordine ad alterum, nego. Itaque debitum quod Deus habet ad creaturam, debitum quidem est ad illam, at non oritur ex jure & actione illius, sed ex ordinatione Dei, & ex summa rectitudine & aequitate divinae voluntatis, quae est suprema lex, & primordialis regula totius aequitatis: unde creatura non est creditrix talis debiti, licet illi ut extremo reddatur.

Objicies ultimò contra eandem conclusionem. Iustitia distributiva respicit proportionem geometricam & comparativam unius ad alterum, non verò debitum quod unicuique proprium est, ut antea exposuimus: Sed Deus in distribuendis suis bonis, vel perfectionibus, creaturis, sive quoad naturalia, sive quoad moralia, non attendit ad proportionem geometricam & comparativam unius creaturae ad aliam, sed dat quod unicuique debitum est, & connaturale: ut igni calorem, frigus aquae, homini discursum &c. Similiter distribuendo praemia iustis, non attendit ad proportionem quam unus habet ad

Q99

alterum, sed quid quisque gessit, & quantum illius opera mereantur: Ergo tunc non exercet actum distributivæ justitiæ.

38. Respondeo concessa Majori, negando Minorem: licet enim Deus, distribuendo sua bona naturalia, vel præmia creaturis, attendat ad connaturalem cujuslibet exigentiam, & ad debitam commensurationem meriti cum præmio (in quo, ut notat D. Thomas in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. r. relucet aliquis modus, & quædam similitudo justitiæ commutativæ) hoc tamen non obstat, quin etiam ad comparativam proportionem respiciat: ut patet ex illo Matth. 25. *Dedit uni quinque talenta, alij duo, alij unum: unicuique secundum virtutem suam.* Ubi manifestè fit distributio talentorum, comparativè ad dignitatem & proportionem diversorum.

39. Ratio etiam id suadet: Id enim quod Deus præcipuè intendit, distribuendo præmia justis, & singulis rebus perfectiones connaturaliter debitas largiendo, ut igni calorem, Soli lucem &c. est decor ac pulchritudo universi, quæ non solum in perfectione & bonitate absoluta rerum, sed etiam in ordine & proportionem creaturarum ad invicem, consistit, sicut perfectio musicæ requirit diversitatem, & proportionem tonorum: Ergo in creatione mundi, justitia distributiva non solum attendit ad proportionem absolutam rerum, sed etiam ad proportionem geometricam, & comparativam unius creaturæ ad aliam. Unde Augustinus lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 22. dicit, quod à Deo est omnis mensurarum modus, omnis paritas numerorum, & omnis ordo ponderum. Et olim Platonici docebant, quod Deus Arithmetica, Geometriâ, & Musica, mundum condidit: nam per Arithmetica omnia ordinavit, per Geometriam figuravit, & per Musicam proportionavit. Sive ut loquitur Scriptura: *Omnia in numero, pondere, & mensura fecit.* Numerus ad Arithmetica, pondus ad Musica, mensura ad Geometriam spectat.

40. Obijcies ultimò contra tertiam conclusionem. Licet Deus in punitione peccatorum servet debitam proportionem & æqualitatem inter pœnam & culpam, ea tamen non punit ex debito legali & rigoroso, sed solum ex quadam decencia morali; quia potest illa non punire, & remittere, seu indulgere; sicut de facto ea sæpe remittit peccatoribus absque ulla pœna: Ergo punitio peccatorum non potest esse in Deo vera & stricta justitia, sed solum justitia quædam imperfecta, & pars potentialis justitiæ. Consequentia videtur manifesta, quia, ut supra reculimus ex D. Thoma 2. 2. quæst. 80. art. 5. dupliciter aliqua virtus à ratione strictæ justitiæ deficit. Uno quidem modo, in quantum deficit à ratione æqualis; alio modo, in quantum deficit à ratione stricti debiti: Ergo si justitia vindicativa in Deo deficiat à ratione stricti debiti, non erit vera & stricta justitia, sed pars potentialis illius.

41. Respondeo primò, quod de facto nunquam Deus remittit peccata sine plena & rigorosa satisfactione: quia aut ea punit in inferno, pœnâ æternâ, & infinitâ quantum ad durationem; vel ea remittit intuitu meritorum Christi, qui se vadem & fideiussorem præstitit pro nobis, & Deo satisfacit de toto rigore justitiæ, ut in Tractatu de Incarnatione dicemus.

Disp. 4.
art. 4.

42. Respondeo secundò, Dato quod Deus sine ulla satisfactione remitteret peccata, sicut potest de potentia absoluta; nihilominus quando ea punit,

A ex justitia & debito legali punit; quia ea punit juxta pœnam taxatam à lege justa, quam ipse statuit: *Pro mensura enim peccati, est & plagarum numerus*, ut dicitur Deuterion. 25. Sed tamen quia hoc debitum legale, non est ei impositum ab alia, qua lege superiori, sed ipse sibi est lex, potest ex supremo dominio suo pœnas remittere, secundum quod decet bonitatem suam, quæ est omnium legum radix. Sicut etiam in humanis, Princeps supremus potest quandoque ob bonum publicum remittere pœnas & delicta. Solutio est D. Thomæ 2. 2. quæst. 67. art. 2. ubi ait: *Deus habet supremam potestatem judicandi, & ad ipsum pertinet quidquid contra aliquem peccatur.* Et idè liberum est ei pœnam remittere, præcipuè cum peccato ex hoc pœna maximè debeatur quod est contra ipsum, non tamen remittit pœnam, nisi secundum quod decet suam bonitatem, quæ est omnium legum radix. Idem docet Anselmus in Prologo cap. 10. his verbis: *Cum punis malos, justum est, quia eorum meritis convenit, & cum parcis malis, justum est, quia bonitati concedens est.*

ARTICVLVS II.

De misericordia Dei.

C Felix & prudentissima Magdalena, quæ non unum, sed utrumque Domini pedem osculata est. Nam *Pedes isti* (inquit Bernardus) *sunt misericordia & iudicium: quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.* Huic prudenti consilio annuentes: postquam divinæ justitiæ pedem osculati sumus, ad osculum pedis misericordiæ accedimus, & divini huius attributi considerationem, cum Angelico præceptore aggredimur. Unde fit

Sermon
de Magd.
dal.

§. I.

Virum Misericordia competat Deo formaliter?

D Pro resolutione huius difficultatis, quæ nullam vel parvam habet controversiam inter Theologos: observandum est ex D. Thoma hic art. 3. & 2. 2. quæst. 30. art. 5. in corp. Misericordiam prout in nobis reperitur, duo includere: unum de formali, & alterum de materiali. De formali enim dicit actum seu affectum voluntatis, quo quis exoptat, & intendit sublevare alienam miseriam: Qui affectus, si sit potens & efficax, de facto eam remouet, & expellit à subiecto in quo reperitur. De materiali verò includit quendam motum appetitûs sensitivi, quo aliquis de malo alterius tristatur, & illi per affectum condolet, & compatitur. Unde, ut notat S. Thomas hic art. 1. *Misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor: quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria.* Hoc præsupposito.

43

Dico primò: misericordiam esse in Deo, saltem quantum ad effectum subveniendi alienæ miseriæ.

44

Probatur conclusio egregio discursu D. Thomæ hic art. 3. ubi ait: *Quod defectus non tolluntur nisi per alicujus bonitatis perfectionem: prima autem origo bonitatis Deus est: Ergo misericordia Deo perfectissimè competit, saltem quantum ad hoc quod est removere defectus & miseriæ à rebus. Quod ibidem magis declarat, observando quod elargiri perfectiones rebus, pertinet,*